



THE  
MOUNTAIN  
VIEW  
CAMP  
AND  
RESORT  
ON  
THE  
MOUNTAIN  
VIEW  
TRAIL  
IN  
THE  
MOUNTAIN  
VIEW  
RESORT  
AREA  
OF  
THE  
MOUNTAIN  
VIEW  
TRAIL  
IN  
THE  
MOUNTAIN  
VIEW  
RESORT  
AREA

D E  
SANCTI SPIRITVS  
A D V E N T V  
O R A T I O

HABITA IN SACELLO PONTIFICIO  
IPSO PENTECOSTES DIE

*Ad Sanctissimum Dominum Nostrum*

C L E M E N T E M XIII.  
PONTIFICEM MAXIMUM

*A B*

ALEXANDRO MATTHÆJO EX DVCIBVS IOVII

SEMINARII ROMANI CONVICTORE

*ANNO MDCCLXII.*



ROMÆ , ex Typographia Iosephi & Philippi de Rubeis .


---

SUPERIORVM PERMISSO.




*Sanctissimo Domino Nostro*  
**CLEMENTI XIII.**  
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

ALEXANDER MATTHÆJVS  
FELICITATEM.

 *R*omae olim in templo Vestae religiose ser-  
vatum ignem nescio quem, eique muneri no-  
bilissimas virgines praepositas fuisse accepi-  
mus. Id habebatur publicae salutis atque  
imperii pignus certissimum. Qua in re ma-  
gisve impii an stulti fuerint illi veteres,  
non facile dictu est. Nam neque fas erat,  
id, cui nihil sanctitatis inesset, tanta ceremonia custodiri; nec  
dignum caetera populi romani sapientia, in eo, quod tam  
facile ipsum extingui atque opprimi posset, perpetuo mansu-

*rae urbis aeternitatem collocare . Nobis enim vero B. P. quorum aliquae , ac tibi praecipue , cujus primae in Ecclesia sunt partes , licet hoc vera cum gloria praedicare . Habere nos ignem coelestem ac divinum non uno aliquo in templo conclusum , sed in animis longe lateque diffusum , quo publica salus contineatur , quique sit nobis non tam pignus , quam causa perpetuae incolumitatis . Hujus videlicet ignis adventu atque illapsu in corda trepidantium Christi discipulorum Ecclesia primo est constituta , ejusdem vi servata est jam saepe numero : servaturque etiam nunc , & servabitur in omne reliquum tempus , quidquid ad eam evertendam vel mali demones , vel nefarii homines moliantur . Semper enim beatum hunc ignem in Ecclesia mansurum esse tum divina oracula testantur , tum illa ipsa flammae species declarat , quae non modo subito apparuisse , verum etiam sedisse dicitur : ut adveniendi celeritas vim , manendi mora stabilitatem indicaret . Quae utinam mihi , te audiente , agere licuisset , quemadmodum erant agenda , graviter & copiose . Verum quid facerem in tantas temporis angustias compulsus ? Feci id , quod necesse fuit , ut indicarem tantummodo , quantam divinus ille ardor nascenti Ecclesiae salutem adtulisset , quamque esset aequum eidem nos confidere . Nunc oratiunculam parvam oppido atque inopem inscripsi tuo nomine , atque ad te adtuli . Fortasse parum vercede . Verum hoc ita fieri & consuetudo postulat , & humanitas tua patitur ; quam tu nimirum ex tam multis eximiis mirificisque tuis virtutibus mihi jamdiu minime ignotam esse voluisti . Hac ego , hae inquam una fretus tibi , cujus certe dignitas majora postulat , hoc quidquid est lucubratiunculae , dicare non dubito : tuosque sanctissimos pedes exosculans , Deum oro , ut te reipublicae bono quamdiutissime incolumem servet .*



# ORATIO.



Ure ac merito, BEATISSIME PATER, ea quam modo audivimus Evangelii voce jubemur omnem, si qua inest, perturbationem ex animo abjicere, atque ab indecoro piisque hominibus indigno metu abstinere. *Non turbetur cor vestrum neque formidet.* Cur enim perturbemur, aut quem formidemus? siquidem ii sumus, qui esse debemus; non arroganti fiducia nostrarum virium, sed certa divinæ opis expectatione, subnixi, eoque freti Spiritu, quem scimus & vocatum venire ad suos, & quum advenerit, tantam adferre vel rebus salutem, vel animis alacritatem, ut ubi sit ille, nihil turbidi ac formidolosi esse possit. Cujus ego auxilii caelo advenientis, atque omnium malorum ac terrorum caliginem discutientis exemplum Hierosolymis editum hoc ipso die paucis exponam, meque, si potero, & hos, qui adsunt, ad eandem spem excitabo.

Me quidem ea cogitantem, quæ ante divini Spiritus adventum facta esse accepimus, miseret nascentis illius ec-

clesiæ, quam video, nec multitudine satis frequentem nec animo satis firmam latere in occulto, atque angustiis unius domunculæ parietibus contineri. Proh Deus immortalis! qui fuit ille terror! quæ inopia & solitudo! abierat videlicet is, cujus adspectu recreari, cujus oratione confirmari, cujus præsidio niti solebant. Nihil erat uspiam tutum, nihil non adversum, infestumque periculis. Judæorum quam atrox esset animus, quam acerba in illos odia, quam impotens immanisque iracundia, non ignorabant. Contraire ac repugnare nec audebant, nec vero poterant doctrina eloquentia animi firmitate ac robore destituti: ut nihil jam reliquum videretur, nisi ut flerent orbitatem suam, secumque præclare actum iri arbitrarentur, si qua ratione hostium vim ac propè jam intenta suis jugulis tela devitassent. Non enim erat verisimile posse fieri, qui pastoris sanguine manus resperferant, gregem si alicubi essent nacti, ab illo ut abstinerent. O miseram, o certe debilem sæpe numero & imbecillam conditionem bonorum, nec satis munitam contra impetus perditorum! Miseram? imbecillam? ita credo: siquidem sibi fiderent, atque humanis opibus niterentur. Sed longe absunt ab hac insania, multoque firmiore in loco spes suas collocaverunt. Habent, habent, inquam, in cælis omnia suorum incommoda scientem, iisque consulentem optimum maximum auxiliatorem & sospitatorem. Deum: vivum illum vigentem ardentemque Spiritum, qui ubi se incitarit atque ingruerit, citius omni spe omni-que opinione salva sunt omnia, fiuntque læta ex tristibus, secunda ex adversis, ex incertis & turbidis certa & expedita.

Hoc vere dici, quæ modo audiebamus gesta Hierosolymis, nonne apertissime, magnificentissimeque declarant? *Factus est*, inquit, *repente de cælo sonus*. Quid tum? eo  
fra-



fragore domo concussa, & cælestium flammaram specie, coruscante, *repleti sunt omnes Spiritu sancto*; discussæ formidines, mora tergiversatio cunctatioque omnis sublata, mentes illustratæ, ora patefacta, linguæ expeditæ, injectus animis ardor incredibilis. Pudet jam privatis parietibus contineri; provolant in lucem, in forum, in concionem; clamant, vociferantur mira sententiarum gravitate, mira vultus atque orationis constantia. Quid Judæi, natio tam dura tam contumax? conantur initio nescio quid; nec desunt, qui rideant homines sapientissimos, & ea, quæ loquuntur, non divina oracula, sed vinolentorum loquacitatem esse dicant: sed continuo Petri oratione, quasi tonitru omnia concutiente, perculsi mirantur, tacent, laudari eum, quem cruci affixerant, Christumque ac dominum perhiberi, se contra objurgari, & ejus, quem divinis honoribus colere debuerant, interfectores dici patiuntur. Quid multa? victi dant manus, sui que ac suarum rerum arbitrium permittunt hominibus, quos paullo ante contemnebant, quos oderant, quos omni supplicio dignos judicabant. *Quid faciemus*, inquit, *viri fratres?* non modo fratres appellant, quorum sanguinem antea sitiebant, sed sibi eos demonstratores officii, moderatores, magistros, ac prope dominos esse volunt. O mirificam sancti Spiritus in mortaliū animos irruentis vim atque virtutem! Quam facile omnia a metu ad spem, a mærore ad lætitiā, ab interitu ad salutem traduxit! quam repentinam rebus desperatis ac perditis adtulit medicinam! quantas res quam cito effecit! Rudes illi ac jejuni bonarum artium immensam doctrinæ vim animo complectuntur: muti illi & elingues omnium linguarum varietate loquuntur: timidi illi ac periculi metuentes celsi erectique ambulant, adversarios adoriuntur, pugnantque tam strenue tamque animose, ut in prima illa  
con-

congressione tria ferme hominum millia arma abjicere, atque ad eorum partes transire conspiciantur. Hæc facta sunt citius quam dicuntur. Primus ille dies nondum abierat; Christi jam nomine ac laudibus omnia personabant; Christi affectu mirifici ac divini homines habebantur; Christi ecclesia Hierosolymis idest in mediis hostium castris triumphabat.

Quæ nos (jam enim dicendi finem faciam) æquum est, sæpe commemorare ac perpetuo meminisse: nec solum eorum, qui primi tam præsentis divini Spiritus auxilio lætati sunt, sed nostra etiam causa lætari vehementer; quibus idem præsidii paratum esse videmus. Quem enim illi habere, eundem nos habemus auxiliatorem, patronum & patrem; in quo erant illorum, in eodem spes nostræ sitæ sunt omnes. Is dum aderit, (oratus autem & obsecratus nunquam non aderit) quamvis omnia inclinata ad ruinam & prope jam lapsa videantur, magno erectoque animo esse debemus, sperare meliora, nihil periculi formidare, nullis hominum minis ac terroribus perturbari. Dixi.

*L A U S D E O.*



